

Dissertatio inauguralis medica de colica ... / [Tobias Gottfried Strelin].

Contributors

Strelin, Tobias Gottfried, 1717-
Wedel, Johann Adolph, 1675-1747.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Jo. Friderici Ritteri, [1739]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s6hr2awe>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

50067/P
35527
Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

COLICA

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE
ET WITTGENSTEINII RELIQA

AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSISSIMAE FAC. MEDICAE
PRAESIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE PROF. PVBL. ORD.
SERENISS. SAX. DVCVM CONSIL. AVLICO ET ARCHIATRO
ET ACAD. NATVR. CVRIOS. COLLEGA

PATRONO ET PRAECEPTORE SVMMA PIETATE COLENDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES RITE OBTINENDI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT

AVCTOR

TOBIAS GOTHOFREDVS STRELIN
OETTINGENSIS

AD D. XXVI. SEPT. ANNO M DCC XXXIX.

IBNAE LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.

M. D. M. B. M.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

18

COLLIER

18

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

GALLERIE

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO


THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



I. N. I.

§. I.



COLICA est dolor intestinorum, præcipue coli, vehemens, a fibrarum neruearum tum eorundem, tum mesentericarum, tensione spasmodica proueniens. Dolorem esse colicam, sensus ægrorum satis testantur, de hoc enim conqueruntur anxie, & liberari ab eodem desiderant. Vehemens dolor est, leuis enim ac statim iterum cedens colicæ nomine non venit. Intestinorum dolor est, cum aliæ quoque partes in cauitate abdominis hærentes dolore quidem adficiantur, qui tamen minime colica appellari solet, adeoque intestinorum tristis sensatio ita tantum nominatur. Præcipue coli intestini dolor ita audit, a quo etiam nomen hoc accepisse videtur, vt in ieiuno & ileo si hæreat, iliacus dolor imprimis dicitur. Haud raro tamen vterque dolor colicæ nomen gerit.

§. II.

Principale colicæ subiectum constituunt fibræ intestinorum nerueæ, quia ab his sensus & motus eorundem dependet; siue per se immediate adficiantur, siue, fibris

nerueis mesenterii vitiatis, in consensum trahantur, vnde hæ quoque aliquando causæ subiectum constituunt. Has nonnulli quidem pro subiecto colicæ principali habent, minime tamen id esse queunt, cum sæpissime colica fiat, his plane infontibus deprehensis; illæ autem semper labem sustinent. Perinde vero est, siue in interna superficie, siue in substantia media, siue in externa superficie, intestini sitæ fibræ nerueæ primitus adficiantur. Colon præcipue, hinc & aliquando reliqua intestina, ob has tali dolore corripuntur. Mirum autem non est, si ventriculo, partibus nerueis vicinis aliis, & musculosis, vitium diuersimode communicetur.

§. III.

Immediata colicæ causa est tensio dictarum fibrarum neruearum spasmodica. Duplicis autem generis fibræ nerueæ in intestinis reperiuntur, aliæ, quæ sensum præstant, aliæ vero, quæ motui fibrarum intestinorum carnearum inferuiunt. Si illæ, quæ sensum præstant intestinis, tensionem præternaturalem vehementem subeant, immediate oritur dolor, vt ex generali dolorum doctrina patet; si autem mouentes fibrillæ nerueæ, spiritus ex fibris carneis reuehentes, præter naturam tendantur, fit irritatio, maior & præternaturalis spirituum ad fibras carneas adfluxus, & harum contractio præternaturalis, seu spasmus, isque dolorosus. Fibrillas autem nerueas, spiritus reuehentes, in spasmo quocunque ita adfectas esse, ex *dissertat. D. D. Præsidis de Conuulsione* constare potest. Sæpius vtraque tensio fibrillarum, & sentientium & mouentium, ab obiecto tendente infertur, haud raro autem mouentes tantum ita ab alio tendente adfliguntur, adeoque semper tensio
spasmo-

spasmodica in colica adest. Cum per mesenterium transeant fibræ nerueæ, spiritus reuehentes, idem effectus confurgit, si in hoc obiectum distendens hæreat, & has fibrillas adficiat, nam pari modo refluxus spirituum impeditur, & adfluxus ad fibras musculosas intestinorum redditur maior & præternaturalis, adeoque contractio harum spasmodica & dolorosa efficitur. Ergo & hæc tensio est spasmodica.

§. IV.

Tensio hæc fibrarum neruearum spasmodica fieri haud potest, nisi obiectum tendens adsit, cum fibræ hæ se ipsas tendere nequeant. Tale obiectum euadunt imprimis flatus & humores vitiati, aliquando & aliæ res, præter naturam in intestinis & mesenterio hærentes. Sæpius in culpa sunt intestinorum flatus, si & nimis copiosi, & acres, euadant, & exitum debitum habere nequeant. Abundantes si sint, & copiosiores nascantur, nec pergere valeant, in intestino inclusi, hoc distendendo tensionem fibrarum neruearum recensitam præstant. Acrimonia si vna gaudeant, acida, acido biliosa, vel alia, fibris nerueis se insinuant particulæ acres, & morsicando, pungendo, rodendo, easdem tendunt. Inprimis autem coniunctus est exitus denegatus, hic enim liber si esset, haud possent in tantum accumulari, vt distensionem facerent, quin potius propellerentur & minuerentur.

§. V.

Sæpe autem ipsi flatus sui exitum impediunt, si subito augeantur, & prius, quam exitum habere possunt, intestinum vehementius in vno loco distendant. Tunc enim in loco vicino contractionem spasmodicam fibrarum carnearum excitant, & sic angustia infertur;

fique acrimoniam coniunctam habeant, per hanc etiam similis contractio & angustia inducitur. Reliquæ etiam causæ, vt humores vitiatj viscidi adhærescentes, vel acrimonia sua contractionem spasmodicam efficientes; scybala nimis accumulata, exsiccata, acriora & viscida existentia, &c. flatibus si coniunctæ sint, eorum exitum impediunt.

§. VI.

Oriuntur autem flatus præternaturales ab humoribus viscidis, crassis, lentis, tenacibus, salia fermentatiua in se continentibus; vnde salia hæc, sui iuris reddita, in se inuicem & partes sulphureas tenaces agunt, fermentationem sic præstant, & in vapores, seu flatus, resolunt humores dictos, vnde non inepte humores eiusmodi minera flatuum dici solent. Flatus autem hi ratione qualitatis varietatem quoque habent, & sine acrimonia sunt, si in minera eorum salia vel non copiosiora eminent, quam ad fermentationem sunt necessaria; vel fixiora hæc sint, vt minus simul exhalent & flatibus mixta sint. Acriores autem redduntur flatus, si copiosiora, & exhalabilia, salia in minera vna contineantur, quæ, pro diuersa sua conditione, diuersam etiam acrimoniam flatibus communicant.

§. VII.

Sine acrimonia si sint flatus, nec in minera eorundem plus salium hæreat, quam vt fermentationem flatulentam excitent, minera, seu humor hic, in se obiectum tendens non simul constituit, sed flatus ex hoc orti tantum eam tensionem faciunt; si autem magis salia in minera emineant, vel exhalabilia, vel fixiora, non tantum flatus, verum etiam ipsa minera flatulenta, mor-

ficando,

ficando, rodendo, pungendo, &c. tensionem spasmodicam vna efficiunt. Excitatur talis fermentatio flatulenta vel sponte, si salia fermentatiua in tantum exuperent, vt agere sufficienter possint; vel si ab accedentibus adsumtis aut augeantur, aut tam per hæc, quam per alias causas, in motum citentur.

§. VIII.

Præter flatus & mineram flatulentam, humores etiam seorsim obiectum tendens euadunt, licet non in flatus resoluantur, si peccent acrimonia & viscositate. Acrimonia rodendo, pungendo, lancinando, &c. fibras nerueas, tam alias dolorem, quam spasmus dolorosum, intestinis adfert; viscositas autem efficit, vt & salia copiosiora in minori spatio coniungantur, & ita concentrata, magisque actiua, reddantur, & humor hic acris aut intestinorum superficiei vel internæ, vel externæ, adhærescat, diutiusque persistat, aut in vasculis horum subsistat, aut in mesenterio adfixus permaneat. Est autem acrimonia eiusmodi vel acida, quæ in primis nervis est inimicissima, vel salsa, vel acido-biliofa. Viscositas vero tam pituitæ debetur, quæ hinc vel acida, vel salsa, vel pontica, vel vitrea, & glacialis, &c. euadit; quam a tartaro prouenit, qui itidem salia diuersimode retinet, concentrat & rebellia reddit, lymphamque ita deturpat, non raro tamen etiam & pituita & tartarus coniunctim crassitiem humoribus conciliant.

§. IX.

Aliæ quoque res, præter naturam in intestinis, & mesenterio hærentes, obiectum tendens fiunt. In intestinis occurrunt scybala, coaceruata, & exsiccata, quæ non tantum flatibus præsentibus exitum præcludunt, sed

sed etiam humoribus, qui subsistentes, iamdum acres, adhuc acriores fiunt, vel, haud acres adfluentes, sola mora tales redduntur. Quodsi autem talis humorum status non sit, vt tantam salium quantitatem contineant, vt hæc euolui ita possint, effectus quoque talis haud sequitur, sed sola alui obstructio. Calculi quoque in intestinis quandoque generantur, qui, si tantum incrementum capiant, vt commode pergere contenta intestinorum nequeant, repletionem tanta facta, distensionem eorundem faciunt. Præterea iidem, si humores transeuntes iam acres sint, his adhærent, & dimissis particulis temperantibus, acriores fiunt, & ita obiectum tendens horum culpa nascitur, quod non minus contingit, si humores transeuntes nondum acres sint, salia tamen contineant, nam calculis adhærentes remanent, & sola mora salia euoluuntur, vt acres euadant. Vermes aliquando obiectum tendens fiunt, partim pungendo, morficando, rodendo; partim, si conglomerati plures sint, intestinum replent, distendunt, flatibus, fecibus, humoribus, obicem ponunt, vt hæc quoque talem conditionem adquirant. Deglutita duriora non resolubilia, vt nuclei ceraforum, acini & pelliculæ vuarum, vel similibus, tam ob repletionem, & inde factam distensionem, quam ante dictis modis, talis causa euadunt. Minori quantitate autem solida deglutita, vt nummi aurei, aliquando obiectum tale constituunt, sed non tam per se, quam ob his adhærescentes humores, vel acres, vel tales euadentes.

§. X.

Inflammatiō intestinorum, & eorundem coalitus, vel post dysenteriam, vel alias, factus, rarius colicam, frequentius ileum infert. Reliqua, quæ huc referri possunt, sub

sub causis præternaturalibus continentur. In mesenterio obiectum tendens aliquando etiam est abscessus, ibidem latitans, & in eodem generatum pus acre red-
ditum.

§. XI.

Obiectum tale tendens vt fiat, faciunt causæ mediatae remotiores. Ex naturalibus temperamentum pituitosum, ob pituitam etiam secundum naturam abundantem huc pertinet, quæ facilius augmentum præternaturale recipit, & viscositatem reliquis quoque humoribus communicare valet & salium, acidorum imprimis, & falsorum, retentioni & augmentationi fauet. Biliosum temperamentum, & adhuc magis atrabilarium, acrimoniæ acido-biliosæ producendæ fauet; melancholicum autem tartareis, acidis, austeris, incrementum promptius suppeditat. In omni ætate occurrit, in pro-
uectiori & declinante tamen, ob humores vappescentes, partesque balsamicas deficientes, facilius inuitari potest. Melior sexus, ob errores diætæ, sæpius fere ita corripitur, quam sequior, qui mensium beneficio liberatur facilius a dictis causis, ob vterum autem male habentem seorsim ita adficitur. Dispositio hereditaria etiam huic excludendo malo apta est.

§. XII.

Ex causis nonnaturalibus aer calidior ferum, nimis absumendo, secum siccitatem promouere potest in siccioribus iam subiectis; euolutionem salium promouet, et, statim subsequa refrigeratione, salia fermentifica liberata retinentur, & hinc in dispositis paroxysmum excitare valet. Frigidus nimis aer pituitæ secretionem & excretionem impedit, salia fermentatiua exire non permittit, vnde, in corpore remanentia, hoc quoque malum

facile excitant; ventriculo, intestinis, & fibris nerueis, inimicus est, & hinc in talibus subiectis, vbi reliquæ causæ iam latitant, facile hunc morbum facit. Alimenta, nimia quantitate adsumta, cruditates tam viscidas lentas, quam acidas, acido-biliosas, & tartareas, inferunt; multo magis vero, si sint lenta, viscida, irresolubilia, & salibus fermentatiuis abundantia; adeoque in se iam fermentationem tum facile subeunt, tum, in corpore talibus humoribus scatente, promptissime excitant. Hinc pinguia, vt caro veruecina, pisces, ostrearum abusus, carnes fumo induratæ, vel aere exsiccatae, farinacea non fermentata, panis recens, placentæ, spiræ, nimis copiose commestæ, oua, ad duritiem cocta, castaneæ, lactinia, caseus, imprimis vetustus, leguminosa, flatulenta, pisa, lentes, fabæ, oleracea, acida, fructus horarii crudi, cerasa, imprimis cum nucleis deglutita, mespila, vux, cum pelliculis & acinis imprimis comestæ, & similia. Potus si sit impurus, fæculentus, acidus, vt cereuisia talis, mustum, vinum nouum, cereuisia triticea in minus adsueta. Potus frigidus, maxime adsumptis prius pinguibus, & alias cacochymia pituitosa vel acida præsentem, vt & si calefactum prius corpus fuerit, & subito hauriatur, qua ratione etiam aquæ frigida, & niuis liquata, haustus noxius est. Ebrietas crebrior, cruditates acidas, tartareas, augendo, tum inuitat non raro colicam, tum, in impuris subiectis, & hac alias laborantibus, paroxysmum excitat.

§. XIII.

Somnus nimius pituitæ augmentum, aliarumque partium crassarum, facit. Vigiliæ, modum excedentes, exsiccant, salium euolutionem & concentrationem, spirituum-

rituumque imminutionem & debilitatem inferunt, vnde crassæ, lentæ, vna incrementum adquirunt. Motus nimius ferum minuit, salium fermentatiuorum euolutionem promouet, humores vitiosos, crassos, lentos, nimis commouendo, vnde nimis subito resoluuntur, exitum autem habere non valentes in multis paroxysmum colicum excludunt. Atque hoc eo promptius euenire solet, quando iam imminens alias est paroxysmus. Quies nimia vitæque sedentaria pituitæ & crassarum, tartarearum, & acidarum, partium secretionem & excretionem impedit, vti & viscido immerfa salia fermentatiua auctiora reddit.

§. XIV.

Adfectus animi vehementiores exagitantes salia actiuiora fermentatiua, acido-biliofa, liberant, efferant, & fermentationem flatulentam excitant, vnde ira & ex-candescencia colicam excludere aliquando solent. Concentrantes vero animi adfectus, tum acidum & cruditates lentas, viscidas, tartareas, pituitosas, augent, tum spiritus & humores turbant, illosque debilitando, salibus fermentatiuis maiorem vim conciliant, morbosque tales generant, qui depurationem sanguinis debilitant & minuunt, vnde & hoc, & alia mala, postmodum excluduntur.

§. XV.

Excretiones feri blandi nimia viscidas, crassas, lentas, partes post se relinquunt, & salia quoque, vitiose retenta, concentrata & actiuiora inde fiunt. Non minus, si nec crassarum, lentarum, pituitosarum, tartarearum, nec salinarum acidarum, acido-biliosarum, falsarum, decens excretio per poros cutis, vrinam, & aluum, eueniat, ac-

cumulatio harum necessario fit, & hinc superius enarrata facile consequuntur. Atque itaque si non legitime aperta sit, fecesque diutius retineantur, malum nostrum facile in aprium prodit. Imo & flatus exituri si studio cohibeantur, sæpe produxerunt colicam, regurgitantes enim, & retenti, maiorem distensionem, & dolentem, inferunt, ut, spasmodica contractione inde inuitata, post modum excerni nequeant.

§. XVI.

Ex præternaturalibus causis multas, in cavitate intestinorum hærentes, ut & in mesenterio inuentum aliquando abscessum, iam considerauimus. Adfectus hypochondriacus tam mineræ flatulentæ, quam acrimoniæ humorum irritanti, generandis maxime habilis est. In scorbuto, vel manifesto vel latitante, serum acre, tartareum, acidum, acido-biliosum, si vel in intestinis, vel in mesenterio decubitum adquirat, colicam excitat grauiorem sæpe, quam ab aliis causis ortam. Non minus in febre quartana, quæ acido tartareo debetur, & tertiana, quæ scorbutica haud raro est, miasma febrile, vel rebellius existens, vel, non recte per curationem tractatum, obiectum tendens, colicamque efficiens euadit. In adfectu hysterico si acidum biliosum irritans, cum vel sine flatulentia, intestina & mesenterium infestet, colica quoque nascitur. Imo in lue venera ab acido, pituitæ viscosiori immerso, interdum colica fuit obseruata. Icterus nonnunquam induxit colicam, balsamica bilis vi cessante, cruditatibus eiusmodi in intestinis ortis, uti & a calculis, in vesica fellea natis, fuit visa. Renum calculus, si per paroxysmum exitum adfectet, inter alia etiam colicam facit comitem; quæ etiam alias, a scorbuto fo-

ta,

ta, crebrius repetens, calculi renum productionem non raro post se trahit. Abscessus hepatis, vel lienis, vel renum, vel vesicæ, occasionem aliquando nostro malo præbuit. Huc etiam pertinent venena corrosiua adsumta, vt arsenicalia, potui aquoso vel alio, vel alimentis, mixta. Imo purgantia resinosa, minus solubilia & acriora, quæ intestinis adhærent, & stimulum continuum præstant, inprimis dispositione corporis tali præfente, paroxysmum colicum excitarunt sæpe. Erosio intestinorum, qua hæc summe sensibilia redduntur, aliquando visa fuit, colicam grauisimam excitasse; ne de hernia, incarcerata inprimis, dicamus.

§. XVII.

Est autem colica vel legitima vel spuria. Illa est, quæ in intestinis, inprimis in colo, sedem habet; hæc autem, quando pars, vicina intestinorum, similibus doloribus, quales alias in colica fiunt, corripitur. Talis non raro est dolor mesenterii, satis grauius affligens & per longum tempus durans, & repetens, absque eo, vt intestina inde adficiantur, hinc mentitur sæpe colicam, nisi probe discernatur.

§. XVIII.

Legitima colica iterum vel a causa, in intestinis hærente & nata, ortum habet, & *essentialis* dicitur; vel causa hæc, in corporis alia parte orta, intestina adficit, & tunc *colica per consensum* est. *Essentialis* colica confurgit inprimis ab iis, quæ in cauitate intestinorum hærent, siue ab extra adsumta sint, siue alia, ibidem generata, id efficiant; deinde etiam eadem fit, si in substantia intestinorum, vel in eorundem superficie externa, obiectum tendens fabricetur.

§. XIX.

In cauitate intestinorum causa si vna sit minera flatulenta, vel talem efficiat, fit *colica flatulenta*; siue acrimoniam non habeat coniunctam, vbi, nisi copiosa nimis quantitas flatuum generata sit, mitior est; siue eadem simul gaudeat, vbi, vt &, si nimius prouentus flatuum inclusorum adsit, grauior est colica. Quod si autem causa hæc mineram flatulentam nec constituat, nec faciat, sed, acrimonia tantum sua, fibras sensiles & mouentes tendat, fit *colica conuulsua*; qualis etiam emergit, si talis humor aeris in substantia intestini hæret, vel externæ eiusdem superficiei adglutinatus est, vnde conuulsiui fiunt intestinorum motus & dolores, nulli autem flatus.

§. XX.

Per consensum eueniens colica fit vel viscerum vel mesenterii culpa. Viscerum vitio fit, vel ob depurationem sanguinis læsam, vel ob alium morbum ibi hærentem. Ob depurationem sanguinis in malo hypochondriaco læsam oritur *colica hypochondriaca*; in scorbuto, *colica scorbutica*; in adfectu hysterico, *colica hysterica*; in lue venerea, *colica venerea*. Ob calculum, in renibus præsentem & in motum citatum, fit *colica nephritica*; ob abscessum in hoc vel illo viscere hærentem si fiat, peculiare nomen haud obtinuit. Mesenterii culpa si colica per consensum oriatur, vel ab abscessu ibidem hærente; vel ab humoribus acris, ibidem, viscerum dictorum vitio, decubitus facientibus; vel per nervos aliarum partium, v. g. renum adfectorum, mesenterii, ipsorumque intestinorum, nervis consentientes, viciatos, id contingit. Atque talis colica semper est conuulsua.

§. XXI.

§. XXI.

Colica hypochondriaca, scorbutica, hysterica, venerea & nephritica, si humores, in his orti, ad intestinorum cauitatem perueniant, & simul mineram flatulentam constituent, etiam species flatulentæ colicæ euadunt, & tamen per consensum dictarum partium fiunt; quia in his, non autem in intestinis, nata est hæc minera. Sin autem in dictis partibus acris tantum, non flatulentus, humor productus, ad intestinorum vel cauitatem, vel substantiam, vel externam superficiem perferatur, omnes hæc species ad colicam conuulsiuam per consensum pertinent. Quod si vero in his recensitis partibus, humor acris irritans, non tam ad intestina, quam ad neruos mesenterii, qui fibris nerueis motricibus reuehentibus intestinorum continui sunt, perferatur, colica conuulsua intestinorum, per horum consensum, itidem excitatur.

§. XXII.

Gradus doloris diuersimode quoque variat, vt sit vel remissior, quando causa tendens leuior est; grauior, si hæc vehementius agat; vehementissimus, si summa fibrarum neruearum fiat tensio. Grauius euadit, si vel flatus pauciores sint, & quodammodo tantum distendunt, vel pituita, quæ non ita acris est, tensionem remissiore, molestam tamen præstat; distensius a flatibus magis est; rodens, pungens, contundens, terebrans ab acido, pituitæ viscidæ immerso, magis vel minus acri, prouenit, & hic fixus magis est, in vno loco hærens, vt vagus a flatibus, quandoque & a crispatura spasmodica vaga, dependet; pulsans fit, si sanguis stasin aliquam vel leuiorem, vel inflammatoriam, concipiat.

Lancinans, lacerans, contorquens dolor in conuulsiva colica occurrit, vbi & aliquando pulsans simul infertur. Locus doloris diuersus, differentiam præbens, ex situ intestini, & loci eiusdem adfecti, patescit.

§. XXIII.

Ab humorum conditione, vel mineram flatulentam constituentium, vel alias acrimonia sua obiectum tendens euadentium, colica etiam distingui solet, vt hinc dicatur vel pituitosa, quæ pituitam eminentiorem pro causa habet, cum acido diuersimode coniuncto; vel biliosa, quando acido-biliosus humor, sanguinem simul efferans, subest; vel flatulenta, de qua iam dictum est; vel stercoraria, vt quidam eam vocant, si fecum culpa eueniat; vel tartarea, quæ cum hypochondriaca, scorbutica, &c. coincidit. Durationis intuitu colica est vel breuis, vel chronica, vel continua, vel per paroxysmos adfligens. Maligna etiam aliquando, rarius tamen, obseruata fuit.

§. XXIV.

Manifestat colicam præcipue dolor in abdomine, molestiam creans satis vehementem, in ea regione, vbi intestinum colon situm est, siue totum ita laboret, siue pars eiusdem, & hæc quidem vel circa initium, vel circa medium, vel circa finem, quod sedes & ambitus doloris ostendit. Si autem tenuia intestina dolorem sustineant, horum quoque regio, ab ægro ostensa, id prodit. Et hinc dolor, vel in hypochondriis, vel lumbis, vel in regione vmbilicali, apparens, id notat. Est autem dolor vel fixus magis, terebrans & torquens in vno loco; vel vagus, modo hunc, modo alium, intestini locum occupans. Intestina autem adfecta esse, minus
vero

vero in vicinis partibus hæere dolorem, circumstantiæ coniunctæ docent. In ventriculi enim dolore situs huius statim innuit, qui superior est, inferiorem enim colicus habet. Hepatis dolorem in hypochondrio dextro præsentem, ne pro colico habeamus, remissior eius gradus ostendit, grauatius enim, non autem vehemens est, vt colicus; vti nec lienis dolor, qui in hypochondrio sinistro percipitur, pro colico haberi potest, cum itidem grauatius & longe remissior sit, vterque constantem locum seruat, qui in colico haud raro mutatur. Mesenterii dolor grauissimus est, non cedens remediis, in colica proficuis, & rebellis, per plures sæpe annos permanens vel repetens, obseruatur. Nephritis a colica discernitur per constantem magis, circa renis locum hærentem, dolorem, haud raro iuxta ductum vreteris descendentem, stuporem femoris huius lateris, arenularum excretionem, olim iam a calculo adfectum renem, & quæ alia se exerunt calculi præsentis indicia. Negari tamen non potest, vtrumque malum non raro simul se exerere. Ita etiam peritonæi & musculorum abdominis dolor cum colica confundi haud facile potest, si attendamus, hunc dolorem superficiæ externæ abdominis viciniorem esse, colicum autem paulo profundior.

§. XXV.

Causam colicæ præsentem vt inueniamus, huiusque differentias deprehendamus, tam ad doloris conditionem, & symptomata reliqua, quam prægressas causas manifestas, respicere debemus, vbi, ratiocinatione recte instituta, ex his cognitæ non ita difficile ferimur in eius notitiam. Flatus si adsint, ex dolore distendente, locum quandoque mutante, inflatione,

C

borbo-

borborygmis, murmuribus, imo ipsis flatibus, *ἀνω & κάτω* exeuntibus, vrina, bullas copiosas constantes in superficie exhibente, prægressis adsumptis fæculentis, fermentantibus, cibis pinguibus non resolubilibus, refrigeratione, & similibus, deprehenduntur. Si acres vna sint flatus, dolor vehementior est, & morficans, & pungens. Minera flatulenta si præter flatulentiam, quam præstat, acrimoniam fixiorem vna contineat, itidem ro- dendo, morficando, simul dolorem magis auget, quem flatus soli alias inferunt.

§. XXVI.

In ipso intestinorum canali nata sit minera flatulenta, an aliunde accesserit, ex his discitur: si nullus in reliquis hæreat partibus morbus, qui talem efficere & ad intestina deriuare valet mineram, prægressi autem fuerint errores diætæ, qui talibus cruditatibus fabricandis apti sunt, ventriculique debilitas iam adfuerit, & præterea causæ adsint, flatuum exitum impediennes, vt fæcum copia, siccitas, &c. essentialis magis erit colica hæc flatulenta, sin autem mali hypochondriaci, vel scorbuti, vel adfectus hysterici, vel luis veneræ signa adsint simul, ex his ortum habere mineram hanc, concludere par est, adeoque per consensum tunc fieri.

§. XXVII.

Minera flatulenta, si vel nullam acrimoniam, vel acidam tantum superfluum contineat, sine calore præternaturali æger permanet; sin autem acido-biliofa, magis vel minus vna tartarea, sit eadem, calor febrilis, pulsus celer, anxietas, sitis, oris amaror, vigillæ, dolorque acutior, &c. se exerunt, quæ id patefaciunt. Puitæ vitreæ immersum acidum ponticum si sit, hæcque
intesti-

intestino adhærescat firmitus, terebrante dolore fixo se manifestat.

§. XXVIII.

Humores nec flatulentia, nec abundantia, in intestinis peccantes, sed sola acrimonia & viscositate, si obiectum tendens constituent, siue in cauitate intestinorum, siue in eorundem substantia, siue in externa superficie subsistant, cum colicam conuulsuam producant, ex dolore lacerante, contorquente & lancinante, contorsione intestinorum dolorosa, contractione abdominis, crurum aliquando, aliarumque partium, sine flatuum indiciis, deprehenduntur. Acido-biliosi, magis vel minus tartarei, si hi humores quoque sint, itidem ex ardore vel calore magis vel minus intenso, pulsu celeri &c. intelligi id potest, vt ex caloris absentia acidi, vel falsi, cognoscuntur. His omnibus causas prægressas manifestas si addamus, magis id patescit.

§. XXIX.

Tales humores, si in ipsis nascantur intestinis, ex quacunque causa, essentialem etiam colicam conuulsuam faciunt; si autem ob adfectum hypochondriacum, vel ob scorbutum, vel ob adfectum hystericum, vel luem venereum, vel ob calculum in renibus, vel ob abscessum visceris cuiusdam, generentur, & ad intestina perferantur, per consensum horum conuulsuam colicam fieri, ab eorundem præsentia manifestatur. Par ratio est, si vel indicia abscessus mesenterii, vel humorum eiusmodi, a morbis ante dictis productorum, decubitus in mesenterium facti, adsint, vel, nervos aliarum partium adfectarum, ita læsos, mesenterii nervos per consensum adfecisse, cognitum euadat. Reliqua in in-

testinis hærentia, obiectum tendens euadentia, ex eorundem ordinariis signis, si habeant, erui debent, reliqua vero, vt abscessus in mesenterio latitans, a posteriori fere tantum patefcunt, nisi prægressa manifesta quædam ad coniecturam artificiosam sufficientia data exhibeant.

§. XXX.

Euentus colicæ plerumque salutaris est, interdum tamen, vehementioribus doloribus persistentibus sine remissione, in vno loco magis permanentibus, vigiliis continuantibus, alio non succedente, vel, si aperiatur nullum leuamen adferente, vomitu repetente & vrgente, singultu, lipothymia, sudoribus frigidis, extremorum refrigeratione, & similibus accedentibus, periculum vitæ fit. Hæc autem eueniunt, si minera flatulenta sit rebellior, impetuosior, vt nec corrigi, nec educi sufficienter queat. Hoc vero contingit vel ob morbum rebellio-rem alium, mineram producentem & fouentem, vel si via exeuntibus flatibus, & mineræ, contumacius oclusa sit, ob scybala nimis exsiccata & impacta, ob vermes conglomeratos, ob calculos maiores ibi hærentes, ob solida deglutita copiosiora, ob inflammationem, ob coalitum, ob herniam incarceratam, ob contractionem spasmodicam, nimis diu continuantem &c.

§. XXXI.

Non minus hæc consequuntur, si humores non flatulenti, sed nimis acres & viscidi, rebelliores & contumaciores euaserint, & colicam conuulsivam grauiorem produxerint, nimis adhærescant intestinis, in cavitata interna, in substantia intestinorum, in eorundem superficie externa; si conseruentur & foueantur ab aliis morbis grauioribus, inprimis scorbuto, abscessu in vicinia latitante

tante &c. Talia etiam apparent, si mesenterium primam labem sustineat, & in intestinis per huius consensum, siue in se ipso contineat talem morbum, siue aliunde itidem adfectum sit, colicam conuulsuam grauiorem excitet.

§. XXXII.

Leuior causa, in primis externa tantum, si produxerit colicam, hæc non ita diu durare solet. Neque a vehementiori causa facta, grauiissima & periculosa symptomata coniuncta habens, longam moram permittit. Chronica euadit potissimum scorbutica, quæ per paroxysmos cruciat ægros, vt & a similibus causis fota, pro quarum conditione vel breuius, vel tardius cursum suum absoluit.

§. XXXIII.

Finiri solet colica perfecte vel per discussionem, vel per excretionem manifestam, flatuum & fæcum, sudoris, aliquando etiam vrinæ copiosioris. Flatulenta colica in icterum etiam abit, sed transitorium, quia flatus, tantum per breue tempus, bilis exitum ad intestina prohibuit. Eadem contumacior in tympanitidem quandoque transit. Ileus etiam nonnunquam colicæ succedere solet, alui obstructionem grauiorem si coniunctam habeat, tum alias, tum ob inflammationem, vel coalitum, intestini præsentem. Quandoque paralysis excipit colicam, quæ paresis dici consuevit. Tartareis magis partibus abundantibus, si decubitus in articulos fit, arthritidis colicam sequitur. In renibus si id fiat, calculus quoque oritur. Acidum spiritus figens, eminentius euadens, post colicam melancholiam, & si acido-biliosum fit, epilepsiam, interdum producit. Mors vero a

colica fit vel resolutione & destructione spirituum, sub symptomatibus superius enarratis, vel a morbo lethali, v.g. ileo, succedente.

§. XXXIV.

Curatio colicæ vt fiat, necesse est, vt distensio fibrarum neruearum adfectarum spasmodica tollatur. Hoc vt obtineatur, primo obiectum tendens corrigendum & remouendum est; deinde fibræ neruæ intestinorum, hinc & mesenterii, demulcendæ & roborandæ sunt; & tandem spirituum motus vitiosus temperari & in ordinem redigi debet.

§. XXXV.

Obiectum tendens, si sint flatus, hi præsentés minuendi sunt, eorumque productio præcauenda est. Præsentés flatus minuunt tum, quæ mineræ flatulentæ fermentationem sistunt, tum, quæ eosdem, & mineram ipsorum, euacuant. Fermentationem hanc sistunt, quæ motum salium fermentatiuorum sedant. Præstant hoc sale volatili oleoso pollentia: rad. zedoar. galang. carlin. pimpin. alb. angel. imperator. gentian. rubr. essent. pimpin. alb. zedoar. cal. arom. galang. cort. aurant. castor. essent. carmin. Wed. spiritus carmin. Sylu. spir. sal. ammon. anifat. fassaf. essent. & decoct. hormini, decoct. flor. chamom. Rom. & simpl. aqua carminat. aromata omnia, spec. diacymin. diaspol. Galen. arom. caryoph. rosat. diagalang. dianif. elect. de bacc. laur. diacori, theriac. Androm. Sistunt hanc fermentationem salina acida subtilia, magis resoluentia, vt spir. nitri simplex & dule, clyssus antimonii; alcalica: essent. antim. tartar. simpl. & compos. vel per se, vel oleis destillatis roborata; media: arcan. tartari, arcan. duplic. tartarus triolatus,

triolatus, nitrum antimoniatum, nitr. depurat. flores fals ammon. quibus tam cinnabarina, quam absorbentia, commode adduntur. Eidem enim scopo conuenientia etiam sunt absorbentia, tam alcalina terrea lap. cancror. conch. corall. mater perlar. ipsæque calces antimoniatæ, quam sulphurea: flores sulphuris, cinnabarina, succinata, aurum fulminans, ipsæque opiata, refracte reliquis addita.

§. XXXVI.

Fermentationem hanc sistunt, flatus discutunt, & fibras nerueas demulcent & roborant, externa, vt facculi paregorici ex rad. zedoar. galang. angel. imperat. ireos Flor. cyper. rot. cal. arom. herb. menth. abroton. serpill. absinth. puleg. flor. chamom. R. & simpl. summit. aneth. absinth. bacc. laur. sem. anif. petroselin. caru. anethi, sem. lini, sal. commun. furfuribus & similibus; olea externa ex ol. hyosc. anethino, chamomill. rutac. castorin. ol. destill. anif. foenic. caru. menth. iuniper. succin. alb. rutæ, ol. petr. alb.; vnguenta ex vnguent. neruino, martiato, additis ol. destillat. modo dictis; balsama ex ol. nucist. expresso, iisdem oleis destill. adiectis; emplastra: de crusta panis, carmin. Syluii, de bacc. lauri; cataplasma ex fermento & aceto, additis aromatibus; calida actu reddita varia, vt lapides serpentini, facculi ex milio, vel auena, vel nucleis cerasorum, opercula ollarum &c.

§. XXXVII.

Flatus eorumque mineram euacuant commode clysteres lenientes & carminatiui, qui insigne emolumentum præstant. Euacuant lenientia, vt elix. proprietat. salia media, nitrosa, sal Sedlizense, pilulæ tartareæ

reæ lenientes *Wedelii*, & aliorum, rhabarbarum cum salibus mediis.

§. XXXVIII.

Productionem flatuum præcauent, quæ faciunt, ne minera flatulenta generetur. Hæc autem cum humoribus crassis, lentis, tenacibus, pituitosis tartareis, & salia fermentatiua continentibus debeatur, hi corrigendi & eliminandi sunt. Corrigunt tales humores, quæ viscidas lentas partes resoluunt, saliaque ibidem immerfa liberant, & temperant. Præstant hoc, si per errores diætæ tantum in primis viis collectæ & generatæ fuerint tales cruditates, eadem, quæ flatus præsentés minuunt. Nam præcauent talem mineram, quia agunt viscidum resoluendo, salia liberando, & corrigendo, & postmodum euacuando. Vbi id tantum attendendum est, vt ea seligantur, quæ speciali acrimoniæ corrigendæ apta magis sunt, quod & in ipsis flatibus minuendis obseruandum venit. Calidiora enim & aromatica, si acrimonia biliosa, vel acido-biliosa, in his humoribus simul emineat, omittenda, vel parcius miscenda sunt. Magis autem tunc conueniunt salina media, nitrosa, acidula, absorbentia, & resoluentia terrea & sulphurea, vt cinnabarina, quæ in omni statu conueniunt, & vniuersalia magis sunt. Mitiora quoque redduntur carminatiua, si salina media ipsis combinentur, & nitrosa. Correcti vero ita humores, extra paroxysmum, eliminantur quoque per purgantia, magis resolubilia, minus autem resinosa, vnde senna, rhabarbarum, species diasennæ, spec. diagalappæ, quibus etiam pro re nata mercurius dulcis addi poterit.

§. XXXIX.

Quodsi autem minera flatulenta ab adfectu hypochondria-

chondriaco, vel a scorbuto, vel ab adfectu hyfterico, vel a lue venerea foueatur, extra paroxysmum aperientia, his malis debita, quibus & iungi, & interponi ex iam dictis apta queunt, adhibenda erunt, quæ specialem illam viscositatem & crassitiem resoluunt, & acrimoniam coniunctam corrigunt. Correctione sufficiente ita obtenta, euacuatio quoque apta instituenda est, vt eliminetur. Calculus renum si talem mineram habeat iunctam, eiusdem curatione hæc simul tollitur.

§. XL.

Febres intermittentes, male curatæ, si huic mineræ ansam dederint, salia media cum febrifugis, & aperientibus, euacuantibus rite interpositis, officium faciunt. Vermes si in culpa sint, anthelmintica, salia media, vna cum carminatiuis, vtilia sunt, purgantibusque mercurius dulcis optime tunc additur. Fæces induratas salia media cum cinnabari natua & absorbentibus, minori quantitate iunctis, facilius emolliunt, non omittis humectantibus, lenientibus & clysteribus. Eadem salia media, ita vsurpata, in calculo intestinorum, si huius suspicio sit, vtilia sunt. Inflammatio intestinorum, vt & hernia incarcerata, si in causa sint, horum curatio ex suis loculis administranda est.

§. XLI.

Humores acres & viscidi, non flatulenti, si obiectum tendens constituent, & colicam conuulsivam efficiant, itidem corrigendi & remouendi sunt; siue in ipsis intestinis hæreant, & vel ibidem generentur, vel viscerum depurantium culpa orti, in adfectu hypochondriaco, scorbuto &c. aut ab alio horum morbo producti, in eadem proueniant; siue in mesenterio hæreant,

D

aut

aut ibi nati, aut ob viscerum vitium illuc depositi; siue aliarum partium neruos, cum mesenterio & intestinis consentientes, adficient.

§. XLII.

In intestinis hærens eiusmodi humor acidus, falsus, pituitosus, crassus, existens corrigitur incidentibus & resoluentibus, & acrimoniam acidam temperantibus. Incident & resoluunt sale volatili oleoso gaudentia, non tamen nimis calida; salina alcalica, salina media §. 35. recensita; resoluit etiam pituitam viscidam gummi ammoniacum, in potionibus rite adhibitum. Viscerum culpa si nata sit talis pituita viscida acida, extra paroxysmum aperientia, & alia, morbo horum præsentia congrua, in vsum vocanda sunt.

§. XLIII.

Acrimoniam acidam temperant tam eadem laudata resoluentia, alcalica vna existentia, vt & salina media, quam absorbentia & præcipitantia, dictis iuncta & interposita. Opiata autem hic non conueniunt.

§. XLIV.

Remouent hunc humorem, & vna temperant clysteres blandi, ex emollientibus, resoluentibus & lenientibus in principio, paulo actiuioribus in progressu. Fortiores enim tunc non adhibendi sunt, cum irritationem magis præstent, quam decentem euacuationem. Lenientia etiam profunt & purgantia, minus autem fortiora, in paroxysmo inprimis. Correctione autem viscidi sufficienter facta, actiuiora etiam aliquando sunt necessaria, magis tamen extra paroxysmum. Vtiliter purgantibus mercurius dulcis tunc additur, vt etiam pilulæ de gummatibus Syluii aptæ hoc loco sunt.

§. XLV.

§. XLV.

In hac etiam causa corrigenda, vtilia reperiuntur externa §. 36. proposita. Resoluunt enim, acrimoniam temperant, & nervos demulcent & roborant.

§. XLVII.

Acido-biliosus autem si sit hic humor, magis vel minus simul tartareus, calorem efferans, corrigitur per nitrosa, salia media alia, spiritum nitri dulcem, absorbentia, tam laudata, quam bezoardica, vt & crystallum montanam. Opiata etiam, hic congrua sunt, & refracte reliquis mixta, & alias rite adhibita, vt diascord. Frac. ad ℞ij in holo. Diluentia etiam vsum insignem præstant, vt decoct. hord. cum C. C. & scorz. ▽ scorz. ceras. nigr. &c. in potionibus & alias. Frigidæ quoque potus a quibusdam commendatur, immo etiam multa niue, refrigeratæ. Non autem temere imitanda hæc sunt, nisi omnes circumstantiæ, prudenter examinatæ, aliquando id concedant. Egelida enim, ante commendata, liquida idem præstant, quod a frigida aqua sperari potest, emolumentum, hæc autem male cedere non raro potest; tutior igitur via eligenda est.

§. XLVII.

Eundem humorem temperant & remouent clysteres blandi, & educatione facta, magis mitigantes acrimoniam, ex lacte solo cum saccharo, sero lactis, vt & ex emollientibus & paregoricis parati. Corrigunt & remouent lenientia interna, vt oleum amygdal. dulc. rec. cum iusculo sumptum, manna, vt & sal Sedlizense ad ℞ij. in aqua feruida solutum, & propinatum, aluo adstricta existente. Corrigunt & remouent diaphoretica & bezoardica blanda, tinctura bezoard. mixtura

simplex, eff. pimpin. alb. scordii, antimon. diaph. cinnab. natiu. &c. Corrigunt quoque externa, superius laudata, abdomini imposita.

§. XLVIII.

Sin autem & hic humor ab adfectu hypochondriaco, vel scorbutico calido, vel adfectu hysterico foueatur, superato paroxysmo, horum malorum curatione per aperientia & euacuantia, huius conditionem simul emendantia, corrigi debet, & præcaueri, ne de nouo generetur.

§. XLIX.

Ab alio viscerum morbo si proueniat talis humor acris, vt abscessu eorundem, hoc vitium ex suo fonte emendari debet; calculus, in renibus præsens, si in causa sit, ad hunc curatio simul dirigenda est.

§. L.

In mesenterio decumbens humor talis acris si faciat malum, & ab abscessu eiusdem fiat, huic, quantum fieri potest, succurri debet. Viscerum autem vitium si ortum huic præbeat, eodem modo, vt ante dictum, procedendum, & malum fouens eradicandum, est. Alius partis adfectæ nerui, si mesenterii & intestinorum neruos per consensum adficiant, præsens illius partis morbus ex suo fonte remouendus est, ita enim, huius neruis liberatis, consentientes quoque nerui nullam molestiam amplius subeunt, sed sibi redduntur.

§. LI.

Fibræ neruæ intestinorum & mesenterii demulcentur & roborantur iisdem recensitis remediis, internis & externis, imprimis neruinis temperationibus, & pro causæ specialis conditione, astiuoribus, absorbentibus, cinnabarinis, succinatis, sale volatili oleoso pollentibus, emollientibus &c. Nec minus spirituum motus vitiosus iisdem temperatur, & in ordinem redigitur.

§. LII.

Aer temperate calidus maxime in hoc morbo obseruari debet, frigidus enim summe noxius est. Alimenta vitari debent lenta, viscida, fermentatiua, acria, & reliqua, sub causis recensita, ea autem seligenda, quæ causæ præsentis corrigendæ vna apta sunt. Potus frigidus nocet, calidus leuamen adfert, purus tamen sit, defæcatus, & causæ fouenti proportionatus. Somnus decens utilis est, vigiliæ alienæ sunt continuatæ. Quies in paroxysmo prodest, motus extra paroxysmum blandus, & decenter institutus, confert. Animi motus excedentes omnes abesse, & præcaueri, debent. Aluus aperta seruetur, & reliquæ excretiones rite se habeant.

SOLI DEO GLORIA!

SIMONIS PAVLI HILSCHERI

MEDICINAE DOCTORIS THEORET. PROFESS. PVBLIC.
ORDINARIII

SERENISSIMIQVE DVCIS SAXONIS GOTHANI ET
ALTENBVRGENSIS A CONSILIIIS AVLICIS

H. T.

FACVLTATIS MEDICAE DECANI

PROLVVSIO I.

DE

AQVA VITALI
CORDIALI MICROCOSMICA

PVBLICAE INVITATIONI

AD

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE

COLICA

D. XXVI. SEPTEMBRIS HABENDAM

PRAEMISSA.

IENAE D. XX. SEPTEMBRIS M DCC XXXIX.

LITTERIS CROEKERIANIS.

SIMONIS PAVLI WILHELMII

MDCCCII DOCTORS THEORIAM PROPOS. LXXII
ORDINARI

THESEUS PROPOSITUS A CONGREG. ACADEM. VINDOB.
H. T.

FACULTATIS MEDICAE DECANI

PROFESSOR

AGVA VITALI

COMMITTENTUR

VINDOB. P. VII. T. I.

DECRETUM ACADEM. VINDOB.

COLLEGA

D. 20. JUNII 1802

PROFESSOR

MDCCCII DOCTORS THEORIAM PROPOS. LXXII

ORDINARI



uantam curam quantamque industriam artis salutaris cultores in inveniendis hominum sanitati labefactatæ restituendæ congruis remediis ab omni fere ævo versarint, atque pro hoc obtinendo fine nihil non reliquerint tentatum, aliquando felici, aliquando minus tali successu, verbis exprimi vix potest.

Aliquod hujus rei, ut speramus, suppeditabit testimonium *aqua vitalis cordialis microcosmica*, eximio quondam nostri Athenæi Professori Medico B. GVERNERO ROLFINCIO dicta, *Chimie Lib. III. sect. I. art. I. c. 7.* qui eam præparandi modum ibidem his tradit verbis: Est eadem halitus hominis jejuni atque sani (qui quibusdam audit mumia hominis sani, i. e. sulphur humanum) mane ore bene aqua mundato in phialam vitream fortiter & diu inspirando immissus & propter ἀντισπέριασις frigoris in aquam solutus. Allegat etiam celeberrimus vir, quod ab iis, qui halituum censent magnam esse efficaciam, summum habeatur in morbis incurabilibus confortativum, si id fiat bona intentione, corde puro, precibusque devotis. Hanc tamen subiungit ἐπίκρισις: Sed non videtur operæ pretium & laudes & fundamenta a quibusdam in medium allata & a se ibidem recensita ad commendationem hujus medicamenti magni æstimare.

Liberalius vero de huius aquae viribus sentit inclytus quondam Professor Medicus Lipsiensis, B. IOANNES MICHAELIS, in notationibus ad laudati Rolfincii Chymiam,

& quidem ad indicatum locum, vbi illam in affectibus pulmonum valde prodesse scribit, simul tamen probe præcipit, ut homo e cujus halitu præparatur, bene valeat, cum alias per halitum quis in phthisin vel alium gravem morbum facile incidere possit. Duo etiam cum hac aqua feliciter facta experimenta laudat, quae ut ipsiusmet verbis consignata recenseamus, valde utile nobis videtur.

Nobilis sponsus, scribit, animi anxietatibus variis turbatus, cum febrilis invasionis periculo, multis præfidiis sublevabatur, meo jussu aquam hanc ad cochlear semis, porrigebat sponsa, illibata pudicitiae virgo, e vestigio melius habebat. Alterum experimentum ita se habet:

Nobilis virgo ex mensium suppressione palpitatione & syncope per intervalla laborabat, accedebat febris ardens, & jam omnia erant desperata, vultu incipiebat matrem referre, nostro consilio N. aquam suam microcosmicam exhibuit & bene cessit.

Nostri nunc officii rationem exposcere procul dubio judicabit benevolus Lector, ut: an aqua hæc tuto, porro an cum spe juvaminis, ac demum si profit, a quibusnam causis salutaris sit derivandus effectus? exponamus.

Tuto eadem propinari poterit, si, quod duo laudati egregii auctores bene præceperunt, eadem colligatur ex halitu hominis in optimo sanitatis flore constituti, jejuni oreque prius aqua mundato, ne ulla halitui tetra immixta sint effluvia.

Enim vero ut hujus aquæ indolem genuinam quis rite capere queat, monere æquum est, esse eandem istam portionem materiæ transpirationis, sive vaporem istum, qui e particulis aquosis seu serosis, hisque immerfis atomis salinis ac sulphureis constat, & in pulmonum, tracheæ & faucium confitis glandulis continuo secernitur & per earum poros excretorios exit, & cum aëre permixtus expiratur, affatimque collectus in guttas demum & aquam
ali-

aliquam, artificio dicto, condensari potest. An vero hæc aqua, ministerio pneymatolabii, in tanta copia fuerit præparata, vt curiosi ex ea crystallos, saliaque & sulphur conficere potuerint, ut prodiderunt FABRICIVS BARTHOLETVS *Lib. V. de diffic. Respir.* & BARTHOLINVS *de substantia & motu pulmon.* Sect. II. hos auctores in hunc finem allegante *illustri ac celeberrimo BERGERO Physiol. Med. L. I. c. IX.* definire non audemus. Licet id fieri posse utique concedamus, si sufficiens hujus liquoris adfit copia.

Nobis aquam microcosmicam dictam hominis sanissimi tuto dari posse asserentibus, mox quosdam contradicentes audimus, prætendentes, id ideo fieri non posse, cum eadem e vapore corporis humani excrementitio condensetur, qui tanquam inutilis extra limites corporis nostri ejiciatur. Verum nullo modo omnes humores, non amplius alimentarii, e corporibus sanissimis excreti, & in alia corpora in modica quantitate deriuati mox noxii iudicandi sunt, sed habent iidem aliquando non contemnendam vim medicam, vel unius urinæ e perfecte valentibus pueris desumptæ exemplo, quæ a jejunis mane emissa suavem & violaceum quasi spargit odorem, variisque in affectibus, plebejis præsertim hominibus, in usum salutarem cedit: licet alias nulla excrementa humana sibi relicta a medico eleganti commendari vel exhiberi debere statuamus, nisi extra ordinem quasi in casibus plane singularibus.

Quid etiam mali in se continere queat halitus optime se habentium puerorum, puellarum, adolescentum, juvenumve non videmus, cum eorum Ma Sea sulphure puro balsamico, a salibus non nihil expanso, gaudeat. Cedit igitur suspicio de noxa aquæ microcosmicæ cordialis, e sanissimis desumptæ hominibus. Alia vero utique res est, si aqua hæc suam debeat originem corporibus, sive morbis acutis, sive etiam chronicis quibusdam laborantibus:

horum enim halitus impuris ac noxiis effluviis inquinati sunt, & ideo in corpora etiam sana translati, multo magis vero in ægrotata, iisdem varii generis labem affricare solent, per consequens ex ejusmodi halitibus parata aqua microcosmica admodum noxia & insalubris existit, & angue canequæ pejus est vitanda.

Denique ut aqua hæc rite parata aliquando tuto propinari queat, requiritur maxime, vt a persona subiecto ægrotanti grata defumatur, nec ipsi obtrudatur invito: secus enim si fieret, facile in spiritibus irregulares motus concitare morbumque augere posset.

Restarent duo circa aquam nostram discutienda momenta, sicut supra monuimus: sed scopus, cujus causa hanc prolusionem fecimus, injungit nobis, ut ulteriorem de eadem disputationem in proxime futuram differamus occasionem, & nunc

Candidati nostri clarissimi & dignissimi

TOBIAE GODOFREDI STRELINI

huc usque laudabiliter factum vitæ & studiorum cursum more recepto exponamus, & ad ipsius Dissertationem inauguralem O. O. Auditores decenter invitemus.

Natus est Oettingæ d. XVII. Junii M DCC XVII. Patre beatæ nunc memoriae, Viro maxime reverendo, Dn. GEORGIO FRIDERICO STRELINO, Illustrissimi Comitis Oettinga-Oettingensis & Oettinga Wallersteinensis, dum viveret, a consiliis rerum Ecclesiasticarum, nec non Dioceseos Trochtelfingensis Antistite speciali atque Pastore meritissimo; Matre MARIA ELISABETHA, matrona sexus sui virtutibus ornatissima, beate defuncti IOHANNIS FRIDERICI KOBELT, Serenissimi quondam Principis Oettingensis B. M. Camerae Consilarii & Præfecti filia.

Omnem

Omniem curam hi parentes dilectissimi eo intenderunt, ut in primis Christianae nostrae religionis fundamenta probe caperet, aliisque imbueretur pro ratione ætatis utilibus ac necessariis.

Ætate paulo provector Seminarii quod Oettingae floret, præceptorum curæ atque informationi traditus tum linguæ Latinæ tum Græcæ posuit fundamenta, aliæque ad humaniora spectantia tractavit, ubi præsertim virorum præclarissimorum atque doctissimorum, DN. GEORGII FRIDERICI BRECHENMACHERI, Seminarii Oettingensis Rectoris & Inspectoris, Amitini sui maxime colendi, & DN. IOHANNIS PREV, ejusdem jam laudati Seminarii Con-Rectoris meritissimis informationibus fidelissimis multa se debere affirmat. Aptus sic reditus ut ad altiora progredi posset, Anno M DCC XXXVI d. IX Aprilis patria relicta florentissimam hanc Musarum Jenensium sedem adiit, ac fide obsequioque promissis a Pro-Rectore t. t. Magnifico, b. DN. D. SYRBIO, Professore Theologo celeberrimo, in civium academicorum numerum est receptus.

Artis salutaris studium cum sibi maxime placeret, Collegia adeundi medica, scopo apta, mens erat, præmissa hinc *Logica*, quam manucentibus Viris t. t. clarissimis b. Dn. Professore KOEHLERO, atque itidem b. Dn. D. HERZOGIO audivit, sequentia ad medicinam præcipue spectantia Collegia frequentavit.

Illustris nempe & Excellentissimi Consilarii Aulici & Professoris, DN. GEORGII ERHARDI HAMBERGERI, ductu *Physicam, Cursum Mathematicum, Physiologiam, Pathologiam, Materiam Medicam, Semioticen, Methodum medendi & præscribendi formulas atque Chirurgiam* audivit.

Præeunte Viro Illustri atque Excellentissimo, Dn. Consiliario Aulico & Professore, HERMANNO FRIDERICO TEICHMEYERO, jam hujus Prytanei tenente

nente fascēs, *Anatomiam*, *Osteologiam*, *Botanicen*, *Chymiam* & *Materiam Medicam* addidit, ejusdemque *sectionibus cadaverum*, sexu atque ætate diuersorum, dexterrima manu factis, *demonstrationibusque anatomicis* interfuit, quotiescunque hæ instituerentur.

Ex ore etiam Viri illustris & Excellentissimi Dn. Consiliar. Aulic. & Professoris IOHANNIS ADOLPHI WEDELII, Facultat. Med. & totius Academiae Senioris venerabilis, *Praxin* audivit solidissime propositam, nec non ejusdem sui Præceptoris, quem omni mentis pietate colit, *Collegium Chymicum* publice prælectum huc usque frequentavit maximi cum fructus perceptione.

Tandem e meis prælectionibus publicis, quas in *Semiologiam* celeberr. Boerhavi habui, se commodum hausisse affirmat.

Maturatis igitur probe studiis nomen suum mense Julio a. c. apud Facultatem nostram professus numero Candidatorum adscriptus fuit, atque in examinibus confuetis omnibus Facultatis nostræ membris se ita probavit, vt ipsi lubentissime licentiam concederent publice defendendi suam dissertationem inauguralem de COLICA sub Præsidio Viri illustris & venerabilis Dn. Consiliarii Aulici & Senioris laudati WEDELII, D. XXVI. Septembris. Huic panegyri vt Magnificus Academiae Pro-Rector, illustrissimi Comites, venerandi Academiae Patres, honoratissimi Hospites & præsertim generosi & nobilissimi Commilitones gratiosam & benevolam præsentiam concedere dignentur, perofficiose & peramanter oro atque contendo.

P. P. sub Sigillo Facultatis Jenæ M DCC XXXVIII.

A. D. xx. Septembris.

(L.S.)

EPISTOLA

DE

METHODO PRAECAVENDI
IN CONSOLIDANDIS
VULNERIBUS ET VULNERIBUS
CICATRICEM

QVA

VIRO NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

TOBIAE GOTHOFER.
STRELINO

AMICO AETATEM SVSPICIENDO
IMPETRANDOS

IN

ARTE MEDICA HONORES


GRATVLANTEM ANIMVM

PERAMANTER DECLARAT

HENRICVS IOHANNES
MEIBOMIVS

HELMSTADIENSIS

PHILOS. ET MED. CVLT.



IENAE, LITTERIS CROEKERIANIS.

EPISTOLA

DE

METHODO PRAECAVENDI

IN CONSILIANDIS

VULNERIBUS ET ULCERIBUS

CISTARTICIS

THEOPHILUS BOOTHBY

TORNAE GOTHOFI

STRELLINGO

LIBRARIUS

MDCCCLXXV

ARTE MEDICAE HONORIS

GRADUATUM ANNUM

HELMSTADTENSIS

HENRICVS JOHANNES

MELIBOMIVS

HELMSTADTENSIS

PRIOR ET MEDICVS

IN AERIE LITTERIS CROKERIANIS



VIR NOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME
AMICE SVAVISSIME.



Sanctiora, quae inter nos continentur amicitiae iura me transgredi vimque modestiae TVAE inferre omnino arbitrarer, quodsi eruditionis TVAE ornamenta, quibus prae aliis exsplendescis, multis licet iustissimis laudibus insignire conarer. Lubens enim profiteor, me nec quidquam claritatis esse nomini TVO doctissimo hoc officiorum meorum genere adlaturum, neminemque fore, quem eximiis animi TVI dotibus, in quibus tribuendis naturam fautricem habuisti, non in TVI gratiam atque amorem mire adlexeris. Insigni horum numero ego imprimis adscribor, quem a primo die aduentus mei apud Musas Salanas suavisissima consuetudine TVA, ex qua commoda fere singularia in me redundarunt, demeruisse mihi gratulor. Qua ex re desiderio iam dudum exoptatae occasionis teneor, TIBI animum humanitatis TVAE erga me memorem pa-

lam declarandi. Cuius lux hodierna ex voto me participem reddit, qua nempe praestantissima splendidissimaque studiorum praemia TVORVM, egregii artis apollineae honores, in TE conferuntur. Eo maiori laetitia partes de dignitate consecuta gratulantis TIBI, AMICE AESTVMATISSIME, praesto; quo minus nulla alia feliciori ratione TIBI pro singulari TVA in me voluntate, quae sese in eruditis mecum factis sermonibus maxime ostendit, rependere possim. Ex his certissimam semper coniecturam politissimi ingenii TVI & illius aestimationis feci, cuius fructus hodie percipis vberrimos. Non aequitatem offendere videor TVAM, AMICE DVL-CISSIME, quodsi prolixius testimonium de rebus medicis, quas familiarissimis verbis mecum communicasti, in medium proferam. Recentissima fortasse memoria supremum argumentum pensitabis, quod pro virium nostrarum conditione temporisque vsu de Medicinae, praesertim Chirurgiae gloria ex ignorantia Chirurgorum quorundam obscurata in colloquium vocauimus. Haec inscitia, qua Chirurghi incredibiliter laborant & non leues Arti Medicae notas inurunt, iam in tempora antiqua misere prorupit & quendam *Poetam* ita dolendam illorum temeritatem viuis coloribus depingere impulit:

*Fingit se Medicum quiuis idiota, sacerdos,
Iudaeus, monachus, histrio, rasor, anus.*

In tollendis istis erroribus perniciosissimis & scientiae sanandi praestantissimae remediis adhibendis, ne in ignominiam & detrimentum illius cedant ulterius,

terius, cura nostra semper est versata. En! AMICE DOCTISSIME, potiores causas, quae, ne lateat laboris nostri momentum, ad consignandam cogitationum nostrarum summam mentem meam quam maxime impulerunt. Vitiorum copia omnino inaudita opprimerer, longiusque iusto hisce delineandis immorarer, si omnes ex Chirurgorum culpa in Medicinam demanatos errores memoriae prodere vellem. Quapropter necesse duxi inter tot tantosque vnicum tantum ratione lustrare, quem in consolidandis vulneribus & vlceribus omni die concipere haud erubescunt. Non enim de partis solutae recta sanatione satis solliciti medicamentis tam internis quam externis vtuntur nulla habita exquisita ratione illorum, quae & ad partis dissolutae conditionem & ad naturam vitii in aegro perscrutandam pertinent. Qua ex re ita iniqua succedit consolidatio, vt relicta cicatrix, licet sanitati humanae semper non obsit, tamen si parti videndae est obducta, illi non parum deformitatis conciliet. Ne hicce Chirurgorum error ex turpi imperitia natus diutius admittatur, sed in meliorem abeat partem, rectam medicamentorum ad consolidandas partes dissolutas necessariorum adplicationem, hincque *Methodum praecauendi in consolidandis vulneribus & vlceribus cicatricem*, quantum harum angustiae pagellarum concedunt, pro virili exponam.

§. I.

Clatrix est concretio parietum vasculorum, quacunque a causa dissolutorum iamque iunctorum, vel inter se vel cum fluido in illis stagnante.

§. II.

Hinc evidens est: cur in parte ita adfecta (§. 1.) difficilis & parca transpiratio? cur illa soliditate, duritie, insensibilitate & candore alias partes superet? & denique cur in ea tempestatis ratio nonnunquam, dolorem excitet?

§. III.

Concretionem talem (§. 1.) efficit aequilibrium in parte soluta sublatum inter vasculorum resistantiam & vim liquidorum influentium, ita vt vel vasculorum resistantia superet vim fluidorum vel haec illam.

§. IV.

Causa igitur aequilibrum huius sublata (§. 3.) insita est vel 1) fluidis, vel 2) solidis.

§. V.

Fluida hoc praeslant (§. 4. n. 1.)

1) quantitate vel α) excedente, vel β) deficiente potissimum a haemorrhagia immoderata orta;

2) qualitate α) ob visciditatem, β) fluiditatem nimiam, γ) acrimoniam vel salinam acidam, alcalinam & muriaticam, vel oleosam, vel putridam;

3) motu α) excedente ob quantitatem maiorem (n. 1. l. α), & acrimoniam quamcunque (n. 2. l. γ) fibras cordis irritantem, β) deficiente ob quantitatis vel excessum vel defectum (n. 1.), visciditatem (n. 2. l. α), fluiditatem nimiam (n. 2. l. β) & vasorum inertiam.

§. VI.

Solida autem partium dissolutarum id faciunt (§. 4. n. 2.) vel 1) debilitate vel 2) robore maiori.

§. VII.

§. VII.

Cognito iam quid aequilibrium in parte dissoluta inter vasculorum resistantiam & vim fluidorum influentium tollat (§. 4-6.), illius praesentia vel absentia, tum & quid illorum (§. 4-6.) hoc sustulerit, facile patebit recte consideranti conditionem partis solutae sensibus patentis, temperiem aegri, vitiique in illo naturam.

§. VIII.

Cum autem causa cicatricis in aequilibrii absentia (§. 3.) posita fit, facile in promptu erit, methodum praecauendi in consolidandis vulneribus & vlceribus cicatricem consistere in eo, vt cognita aequilibrii inter vasa & fluida vel praesentia vel absentia (§. 7.), illud 1) si adhuc praesens, conseruetur, vel 2) si absens, restituitur.

§. IX.

Primum (§. 8. n. 1.) quo perficiatur, requirit, vt feruentur 1) fluida α) tenuia, sed tamen β) aliquantulum glutinosa, γ) omni acrimonia destituta, & δ) aequabili motu praedita; 2) solida α) satis robusta, β) flexibilia & dilatabilia.

§. X.

Quae (§. 9.) vt obtineantur, sequentes regulae quoad res non naturales probe seruande veniunt:

1) Aer sit serenus, siccus, temperate calidus, ab exhalationibus putridis defaecatus, saepeque renouatus. Et ne etiam hicce aequilibrium tollat, summa ope a parte adfecta arceatur; quod fit, si illa α) linamentis carptis medicamentis balsamicis madidis probe tegatur; talia sunt balsamus peruuianus, toluatanus, copayuae, oleum hyperici, liliorum alborum, therebinthinae, ouorum, essentia myrrhae, aloes, succini, aliaque; β) his (1. α) imponatur Emplastrum nil nisi tenacitate sua retentionem illorum praestans; reiecta hinc inutili illa farragine,
qua

qua Chirurghi quidam multum efficere sibi falso persuadent, Emplastrum sufficiat ex cera & oleo quodam vulnerario factum.

2) Victus sit simplicissimus, liquidis sanis simillimus, aut illis facile assimilandus per vires nostras coctrices, facultate nutriendi abundans, omni acrimonia destitutus, nec facile putrescens, parca copia sed saepius adsumtus. Cibus ideo optimus petitur ex iusculis carnis bonae notae, lacte, fructibus suauibus, acidodulcibus, succulentis, perfecte maturis cum aqua coctis, oleribus blandis, lacteis, vitando omnia acria, facile putrescentia, tum & illa, quae difficulter in chylum mutantur. Potui autem inseruiunt decocta farinosa vt hordei, auenae, tritici, emulsiones ex iisdem factae, decocta panis dilutiora & quandoque cereuisia tenuis. Maxime tamen quid cuiuslibet profit vel noceat, elucescit, si prius aegri temperies & vitae genus notescat.

3) In motu ac quiete semper iusta obseruetur mensura, praeprimis tamen haec illi praeferenda erit.

4) Vigiliae vitentur, hinc cessante somno conciliandus anodynus lenissimus vt Emulsione ex amygdalis dulcibus, seminibus 4 frigidis maioribus, semine papaueris albi cum aqua florum tiliae, papaueris albi, papaueris rhoeados facta, colaturae addendo syrupum papaueris albi vel diacodii, vel si haec non sufficiat, diascordio Fracastorii in bolo, aut theriaca coelesti in potione aut opio ipso in puluere sed parca dosi exhibitis.

5) Excretiones ordinariae semper procurentur, maxime aluus quotidie seruetur laxa victu emollienti (n. 2.), & hoc non satis efficaci, vsu decocti tamarindorum, cassiae, mannae, colaturae addendo syrupum rosarum solutium aut cichorei cum rheo, vel pilularum ex extracto panchymagogo Crollii, vel salis
fedli-

sedlicensis; tum etiam ope clysterum emollientium & suppositoriorum.

6) Animo semper concilietur hilaritas, hinc alienae sint animi agitationes vehementiores, vt ira, terror, tristitia, cura, meditationes, & amor insanus.

§. XI.

Secundum vt fiat (§. 8. n.2.), vitia fluidorum & solidorum aequilibrium tollentia (4 - 6.) remouenda erunt.

§. XII.

Quantitas igitur fluidorum (§. 5. n.1.) 1), si excedat, minuenda erit per venae sectionem pro ratione abundantiae sufficientem; 2) si deficiat, restauranda venit copiam requisitam humoris sani restituentibus, quae petenda maxime ex victu (§. 10. n.2.) memorato.

§. XIII.

Visciditas humorum (§. 5. n.2. l. a) si aequilibrium tollat, corrigitur diluentibus & resoluentibus. Diluunt aquea praesertim calida, infusa cum primis & decocta herbae thee, radicum 5 aperientium maiorum, radicis graminis, cichorei, sarsaparillae, bardanae, herba veronicae, trifolii fibrini, rutae, agrimoniae, betonicae, absynthii, saponariae, beccabungae, summitatum centaurii minoris, ligni sassafras, seminis dauci, apii, aliorumque.

Resoluunt 1) salina vel acida, tartari cremor & crystalli, sal acetosellae, vel alcalica fixa, sal absynthii, cardui benedicti, centaurii minoris, vel media, nitrum, sal gemmae, sal ammoniacum, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum aut in pulueribus exhibita aut decoctis addita; 2) saponacea, sapo hispanicus aut venetus, mel, manna, cassia, oxymel, succi absterfui recentes plantarum blande amararum, essentiae & extracta amara variis formis adhibita; 3) decocta vegetabilium iam recensitorum.

Quorum delectus optime fit cognito acri singulari viscido iuncto.

§ XIV.

Fluiditas humorum nimia si in culpa sit (§. 5. n. 2. l. β), emendatur inspissantibus.

Talia sunt 1) gelatinosa & farinosa ex victu (§. 10. n. 2.) commendato desumenda;

2) oleosa vt amygdalae dulces, pistachiae, nuclei armeniacorum, persicorum, semen papaueris albi vel forma emulsionis vel olei expressi adhibita;

3) absorbentia, lapides cancerorum, conchae, mater perlarum, corallia aut emulsiōni addita aut in puluere data;

4) mucilaginosā, vt decocta ex radice symphyti, scorzonerae, polypodii, glycyrrhizae, herba maluae, altheae, verbasci, floribus maluae, altheae, verbasci, caricis pinguibus, passulis, dactylis, jujubis, sebesten, colaturae addendo syrupum dialtheae Fernelii, vel liquiritiae, vel de symphyto.

§. XV.

Acrimonia humorum vitium inducens (§. 5. n. 2. l. γ) in genere requirit diluentia & obtudentia, quo maxime spectat victus (§. 10. n. 2.) recensitus, tum & oleosa (§. 14. n. 2.) & mucilaginosā (§. 14. n. 4.) nec non anodyna (§. 10. n. 4.) tacta.

§. XVI.

Acrimonia igitur acida aequilibrium tollens (§. 5. n. 2. l. γ) exigit correctionem

- 1) acrimoniae generatim obuientibus (§. 15);
- 2) absorbentibus (§. 14. n. 3.) tactis;
- 3) salibus alcalicis fixis (§. 13. n. 1.) nominatis;
- 4) decoctis vel infusis vegetabilium antacidorum magna ex parte (§. 13.) iam memoratorum, tum & radicis armoraciae, helenii, aristolochiae longae & rotundae,

dae, galangae, zedoariae, herba polii montani, nasturtii, erysimi, cardui benedicti, semine sinapi, aliorumque.

§. XVII.

Acrimoniam autem alcalinam (§. 5. n. 2. l. γ.) emendant

1) quae acrimoniam in genere corrigunt (§. 15.);
2) salina acida & media ad acidum adcedentia ex adductis (§. 13. n. 1.) eligenda, quo & faciunt spiritus acidi dulces, nitri, salis, vitrioli;

3) saponacea leniter acescentia (§. 13. n. 2.) tacta.

4) decocta, radicis oxylapathi, acetosellae, herbae acetosae & acetosellae.

5) succi vegetabilium acidi tam natiui, citri, aurantium, quam fermentati, vinum rhenanum, mosellanum, decoctis commixti.

§. XVIII.

Acrimonia muriatica si vitium sit (§. 5. n. 2. l. γ.) singularia non exigit, sed iis, quae acrimoniae in genere occurrunt (§. 15.), optime corrigitur.

§. XIX.

Acrimonia oleosa aequilibrium destruens (§. 5. n. 2. l. γ.) petit quidem correctionem generalibus acrimoniae remediis (§. 15.), sed cum pertinacius vasis adhaeret & non facile diluentibus auscultat, desiderat adhuc

1) lenissime acida, vt decocta tamarindorum, cerasorum nigrorum, aliorumque fructuum acido-dulcium, nec non salia acida & media acido proxima (§. 13. n. 1.) nominata;

2) abstergentia saponacea leniter acescentia (§. 13. n. 2.) data.

§. XX.

Acrimonia putrida si vitium inducat (§. 5. n. 2. l. γ.),

remedijs acrimoniam oleosam emendantibus (§. 19.)
quam maxime auscultat.

§. XXI.

Motus humorum si excedat (§. 5. n. 3. l. α), se-
datur

- 1) imminutione quantitatis nimiae (§. 12.);
- 2) correctione acrimoniae cuiuscunque fibras irri-
tantis (§. 15-20.);
- 3) anodynis (§. 10. n. 2.) vel interpositis vel refra-
cte alijs additis.

§. XXII.

Motus humorum deficiens (§. 5. n. 3. l. β) excitatur

- 1) ablatione quantitatis nimiae (§. 12. n. 1.);
- 2) restitutione quantitaris deficientis (§. 12. n. 2.);
- 3) correctione visciditatis (§. 13.) & fluiditatis ni-
miae (§. 14.);
- 4) roborando vasa decoctis vegetabilium modice ad-
stringentium, radicis tormentillae, bistortae, herba fani-
culae, alchymillae, pentaphylli, pimpinellae, telephii
vulgaris, vincae pervincae, sophiae Chirurgorum, floribus
granatorum, tamarisci, femine lapathi, bardanae, tum &
(§. 17. n. 4. iam tactorum);
- 5) Stimulando fibras motrices per decocta vel infu-
sa ex radice imperatoriae, vincetoxici, zedoariae, herba
chamaedryos, chamaepityos, floribus lauendulae, an-
thos, cardamomo, cortice cinnamomi, femine anisi, foe-
niculi.

§. XXIII.

Debilitas solidorum partis solutae (§. 6. n. 1.)
emendatur fibrarum robur restituendo.

Restituunt 1) quae fibras corrugant ac constringunt,
quo pertinent interne decocta vegetabilium (§. 22. n. 4.),
externe autem spiritus vini, tincturae cum eodem ex herbis
vul-

vulnerariis factae & balsamica subadstringentia (§. 10. n. 1. l. a) recensita.

2) quae humidum in interstitiis fibrarum nimis copiosum auferunt; talia sunt interna fluiditatem humorum nimiam corrigentia (§. 14.) & externa humidum absorbentia, pompholyx, tutia, lapis calaminaris, cerussa, alumen leviter calcinatum, aliaque;

§. XXIV.

Robur nimium solidorum in parte dissoluta (§. 6. n. 2.) minuitur fibras relaxando.

Relaxant 1) mucilaginosae & oleosae, quo faciunt interne decocta (§. 14. n. 4.) memorata & externe balsamica oleosae ex tactis (§. 10. n. 1. l. a) desumenda;

2) quae humidum in interstitiis fibrarum deficiens restitunt; spectat huc aqua ad teporem sani corporis calida interne sumpta & externe adplicata.

§. XXV.

Quo autem optime horum medicamentorum usus ad vitia emendanda (§. 11 - 24.) succedat, diaeta non negligenda erit, quae cuique vitio conueniens ordinanda nullam difficultatem parit consideranti regulas (§. 10.) datas.

§. XXVI.

Conseruato sic aequilibrio inter vasorum resistentiam & vim liquidorum influentium praesente (§. 9. & 10.) & restituto absente (§. 11 - 25.) efficitur,

1) vt succus nutritius ad partem laesam delatus in extremis poris adhaereat, ibique subsistat, sicque fibrarum molem ita augeat, vsque dum harum duae extremitates oppositae & separatae denuo sese contingant & ex hoc contactu cohaereant; hincque

2) vascula quacunq; a vi dissoluta per modum anastomoseos vniantur, eorumque fines per impetum liquidi

extendantur, vt non solum transpirationi, sed etiam sudori patefcant; ficque

3) praecaveatur concretio parietum vasculorum dissolutorum tam inter se, quam cum fluido, & consequenter cicatrix.

Ne autem in tanta materiei vbertate diutius pendenda fortasse patientia T V A abuti & modum in scribendo tenendum excedere plane videar; habeas illa velim, AMICE SVSPICIENDE! quae contemplatione privata profequi e re nostra iudicauimus. Necesfitas quidem efflagitasset, media, quibus res peregrinae vel mortuae inter partes separatas interpositae sint subtollendae, harumque depuratio fit ingredienda, ostendendi. Ast, quo temporis breuitati consulam & rationi instituti mei ex parte satisfaciam, depurationem iam factam suppono, modumque depurandi tanquam notissimum praetergredior, rogoque, vt his mecum adquiescas. Non dubito autem, quin publicis nunc litteris permissam tractationem methodi praecauendi in consolidandis vulneribus & vlceribus cicatricem eo gratiori vultu accipias; quo maiori emendationi errorum Chirurgis futuram esse quam certissime speramus. Nec nobis deerit comprobatio illorum, qui de tam perniciosis vitiis extirpandis cogitantes felicitati humanae ex integritate corporis seruanda fluenti, mirum in modum inseruiunt. Et quaeso in quae vtiliora & ad vitae nostrae finem adcommo-
datiora incumbere nos, qui Medicinam amplectimur,

mur, potuiffemus? Subductis hisce rationibus iure prae ceteris nobiliori nos obstrictos fuisse arbitror, operam in illis rebus locare nostram, quae quam maxime ad nos respicientes dignae omnino fuerunt, vt in lucem proferrentur. Quid plura? perceptio gaudii, quod ex ornatu frontis TVAE insigni nunc haurio, tanta abundat suauitate, quantam non verbis complecti possum. Respondeat igitur desideratissima TVA praesentia expectationi Patriae votisque aegrotantium de TE factis auxiliorum TVORVM copia, prout diligentiam in Arte Medica satis a TE feliciter positam eruditorum opinioni satisfecisse laetissimis abhinc auribus percipient. Quo breviori temporis spatio conspectu Parentum TVORVM amantissimo caruisti, viribusque mentis TVAE laudabili exemplo omnia tam celeriter arripuisti, quam vsui aliorum felicissimo adcommodasti; eo ardentiori TVI videndi desiderio flagrare illos praeclare opinor. Et quae mora hoc Atheneo illustri TIBI est facienda? Ex eius dulcissimis fontibus tantos sapientiae profectus hausisti; quantos cum munere dignitatis clarissimae TIBI oblato iam adaequare potuerunt. Inter tot tantaque eruditionis specimina mihi procliue foret, vt ostenderem, dissertationem TVAM de Colica agentem principem merito locum obtinere. Verum enimvero satius esse arbitror, silentio hanc praetergredi considerato, ne perspicacitatis meae exiguitate quidquam illi laudis detrahatur, latiusque fines litterarum mearum iam transiti extendantur.

Faxit

Faxit DEVS T. O. M. vt per longam annorum seriem inuidenda fruaris felicitate, quae cum salute omnium, qui aduersa laborantes valetudine periculis vitae erepti a TE sunt, mire conspirat. Va-
leas incolumis floreasque sospes ad familiae TVAE gaudium atque solamen, quod ipsi ex nominis TVI gloria ac corporis integritate in dies firmitus insigni-
usque exoritur. Quod reliquum est, maximo TE opere rogo, ne amicitiae nostrae vinculum dis-
soluatur, illud memoria gratisima, meque amore antiquo complecti porro perbenevole velis. Ego
omni cura atque studio illa officiorum genera TIBI tribuam, ex quibus me TIBI non amicum modo, verum etiam aestimabis amicissimum. Vale.

Dabam Athenis Salanis d. xxvi. Sept.

clb Io cc xxxix.

